

de consensu Episcoporum.

190. Inq. 5. Quis sit Judex competens super jure decimarum? R. Quod loquendo de jure spirituali solus Judex ecclesiasticus est competens: quia causa spiritualis ad solum Judicem ecclesiasticum pertinet: ergo private ad forum, & Judicem ecclesiasticum spectat declarare super jure decimarum. Nimirum ad quam Ecclesiam pertineat jus eas percipiendi? Quo titulo exigantur? Sit ne aliquis privilegiatus ab earum solutione? Maxime hoc verum est, quando inter personas utrimque ecclesiasticas lis agitur: quo in casu tam ex parte materiæ, quam ex parte personarum pertinet judicium ad forum Ecclesiasticum.

191. Si autem lis sit de mero facto, non inter personas utrimque ecclesiasticas, aut de decimis regibus, vel aliis laicis a Pontifice concessis, quæ vulgo *Tercias* nuncupantur, potest earum causa in foro laico agitari, & decidi: quia semel laicis concessæ, jam non sunt propriæ decimæ; sed quidam redditus extracti a decimis. Idem est de recurso circa decimas noyaliæ ad forum laicale, quod declarare valet, dari vel non in populo consuetudinem decimandi. Ex consuetudine etiam possunt causæ decimales in judicio possessorio audiri, & definiri in foro sæculari, ut inquit Bened. XIV. in *Synod. lib. 9. cap. 9. num. 7.*

PUNCTUM VI.

De primitiis, & oblationibus.

192. Inq. 1. Quid sit primitia? R. Quod primitia, prout in præsentem, est aliqua pars de primis fructibus, quæ Deo, aut Ecclesie offertur. Omnes fere gentes, naturali lumine instructi, quidquam fructuum Deo offerre in more habuerunt, in gratiarum actionem pro fructibus acceptis. Primum hujus gratitudinis argumentum conspicitur in Cain, & Abel, qui ex primogenitis gregum, & primis terræ fructibus aliquid Deo obtulerunt. Respexit autem Dominus ad Abel, & ad munera ejus: quia prior cor suum, ac se ipsum Deo obtulit simul cum fructibus: ut plures explicant in *cap. 4. Genes.* Certum est in lege veteri fuisse præceptum positivum

primitias solvendi, ut constat Exodi 22. & alibi. Dubitatur autem, an etiam in lege nova sit tale præceptum? Ideo.

193. Inq. 2. An in lege gratia detur præceptum solvendi primitias? R. Quod licet non detur præceptum divinum; tamen datur præceptum ecclesiasticum. Constat ex *c. Decimis 1.* & alibi. Unde solvi debent, sicut decimæ, de omnibus fructibus, & animalibus, esto a Parocho non petantur: quia solvere decimas, & primitias est quanta Ecclesie præceptum. Verum quota, seu quantitas solvenda nullo canone ecclesiastico est assignata, quare vel usu communi, vel prudenti arbitrio metienda est. Similiter legitimæ locorum consuetudini standum est circa obligationem solvendi, vel de omnibus fructibus, vel tantum de aliquibus, vel Ecclesie, vel Parocho. Ubi autem ex consuetudine nulli solvuntur, nulla adest. Et in hoc sensu intelligendi sunt aliqui, negantes dari præceptum ecclesiasticum solvendi primitias.

194. Inq. 3. Quid sit oblatio? R. Quod oblatio, prout nunc accipitur, est donatio quedam rerum mobilium, aut immobilium facta Deo, Ecclesie, aut ejus ministris. Est triplex, nempe quæ fit in vita, & dicitur *inter vivos*. Alia, quæ in testamento, aut in articulo mortis relinquitur, & dicitur *causa mortis*. Et alia, quæ communiter offertur ad altare, aut ad manus Sacerdotis; & vocatur *usualis*. Hinc in Missa nuncupatur *offeritorium* illa antiphona, quæ canebatur, dum populus offerebat panem, & vinum in oblationem: de quo vid. Bened. XIV. in *Synod. lib. 5. cap. 8. n. 1. & 2.*

195. Differunt hujusmodi oblationes a sacrificio: quia hoc requirit immutationem, quam oblatio minime exigat. Differunt a decimis, & primitiis, quia istæ debentur sub gravi præcepto juxta superius exposita; oblationes vero ultroneæ sunt ex se, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 86. art. 1. Unde oblationes voluntarie donantur, nec adest in Ecclesia præceptum eas offerendi. Et esto ubi viget consuetudo eas exhibendi, animo se obligandi invecita, proculdubio obliget; nihilominus communiter, ut spontanea accipitur. Oblationes factæ sive intra, sive extra Parochiam intra suos limites, ad Parochum per-

pertinent; nisi fideles offerant eas alicui cappellæ, aut imagini pro illius cappellæ, aut altaris ornatu. Ex *cap. Quia Sacerdotes 13.*

196. Inq. 4. An oblationes factæ in Ecclesia regularium ad ipsos regulares pertineant? R. affirm. Constat ex *cap. 1. De statu Monachorum*. Idem ex decreto sac. congregat. 15. *Septemb. 1629.* Item ex privilegiis concessis Cisterciensibus a Bonifacio VIII. & Prædicatoribus a Bonif. IX. Consonat his omnibus doctrina D. Th. *loc. cit. a. 2. ad 2.* Ubi assertit regulares posse accipere oblationes ex triplici capite. *Primo*, titulo paupertatis. *Secundo*, ex ministerio altaris. *Tertio*, ex officio in Ecclesiis, ubi sunt Parocho. Ex quibus inferunt plures Authores, oblationes ultroneas, quæ fiunt a sceminais puerperis, dum filios in Ecclesia regularium Deo presentant, ad regulares pertinere, ut accidit Romæ, & alibi.

197. Inq. 5. An aliqui prohibeantur ab oblationibus ad altare faciendis? R. affirm. Quia Ecclesia in odium, & abominationem pravitatis respuit in pluribus lo-

cis juris canonici oblationes hominum pravorum. Hujusmodi sunt Judæi, infideles, hæretici, excommunicati vitandi, usurarii, matricidæ, pœnitescentes, pauperes opprimentes, raptores, sacrilegi, extrahentes servos ab Ecclesia, fratres dissidentes, & meretrices.

198. Hi omnes quando eorum crimina sunt publica, accentur merito ab altari, & ab Ecclesia, ne in ea offerant dona. Qui recipit ad oblationem ad altare faciendam excommunicatus nominatim a Papa, incurrit excommunicationem majorem: Ex *cap. Significavit 18. de sentent. excommunicat.* Similiter recipiens excommunicatos, aut interdictos vitandos ad oblationes inter Missarum solemnias, incurrit interdictum ab ingressu Ecclesie. Ex *cap. Episcopo, de privileg. in 6.* Quando prædictæ oblationes ad altare fiunt, non patena, sed imago sacra, aut crux offerentibus ad osculum præbenda est. Plures manum porrigunt osculandam: sed non approbationem ibi simile osculum, ne transeat ad suavium.

TRACTATUS TRIGESIMUS SEXTUS

DE CENSURIS.

Censura est gladius, & poena ad coercendos præceptis Ecclesie rebelles, unde supposita notitia de præceptis, ad explorandas censuras opportune progredimur cum D. Thom. *supplem. q. 20. & seq.*

CAPUT I.

De censuris in communi.

PUNCTUM I.

Notio censura.

1. Inq. 1. Quid sit censura? R. Nomen censurae tripliciter accipi posse. *Primo*, pro quovis judicio de aliqua re, ut quando datur censura de aliquo libro. *Secundo* sumitur pro officio; olim enim apud Romanos, qui officio puniendi, & corrigendi gaudebat, ut aliquando Cato, *Censor*

dicebatur. *Tertio* accipitur pro ipsa sententia punitiva. Unde Juvenalis *satyr. 2.* notans Junonis injustitiam dixit: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas:* Hæc autem sententia, seu punitio potest active, & passive sumi. Active est inflicto poenæ ex parte Judicis: passive vero ipsa poena reo inflicta. Et in hoc sensu accipitur nomen censurae ecclesiasticæ, & definitur *Pœna Ecclesiastica fori exterioris, qua fidelis baptizatus privatur usu aliquorum bonorum spiritualium, ut a contumacia dicat.*

2. Dicitur *pœna*, quia requirit, & supponit culpam, qua deficiente, nulla est censura. Additur *ecclesiastica*, quia a solo Judice ecclesiastico infligi valet. *Fori exterioris*, quia tantum potest imponi ab habente jurisdictionem in foro contentioso. *Qua fidelis baptizatus*, quia censura solum potest ferri in subditos, & non baptizati

tizati subditi Ecclesie non sunt. *Privatur usu liquorum bonorum spiritualium, non omnium, nec gratiæ, & virtutum, sed tantum eorum, quæ subsunt Ecclesie potestati. Ut a contumacia discedat, quia est poena medicinalis ad salutem animæ ordinata; licet enim quandoque censura feratur ad aliorum terrorem juxta illud Prov. 19. pestilente Castigato, stultus sapientior erit; præcipue tamen imponitur, ut peccator emendetur.*

3. Objic. 1. Per peccatum mortale privatur homo bonis spiritualibus; & tamen non est censura, ergo hæc non recte definitur. R. dist. maj. Privatur homo per peccatum bonis spiritualibus per modum culpæ, conc. major. Per modum poenæ, neg. maj. Itaque peccatum grave non est censura, quia per illud non privatur homo bonis spiritualibus per modum sententiæ, aut poenæ, sed per modum culpæ. Hoc autem modo privatur justum gratia, & virtutibus infusus, in quo etiam differt a censura, quæ nec illis privat, nec est incompatibilis cum gratia, sicut peccatum grave: potest enim quis esse in gratia, & ligatus censura.

4. Pro cujus luce notari oportet, quod spirituale potest sumi, vel pro re a corpore distincta, ut Angelus, & anima rationalis, vel pro re conducente ad finem spiritualem, ut gratia, dona, sacramenta, & similia. Item hæc bona spiritualia sunt in triplici differentia: alia propria personæ, ut gratia, & charitas, alia communia fidelibus, ut sacramenta, & beneficia ecclesiastica; alia connexa cum gratia, ut communicatio satisfactionum, & suffragiorum cum aliis fidelibus. Igitur Ecclesia per censuras non privat anima rationali, quia non sunt sententia sanguinis: nec gratia, aut charitate, quia sunt bona peculiaria personæ; nec communione sanctorum, aut communicatione bonorum, quæ ab aliis fidelibus agantur, quia caret potestate super illis, utpote fundata in gratia, & caritate, sed tantum privat bonis spiritualibus externis, & communibus, quorum habet dispensationem, & administrationem; quidquid in oppositum inaviter clamant Lutherus, & Calvinus.

5. Objic. 2. Censura non solum privat bonis spiritualibus, sed etiam temporā-

libus, ut ab ingressu Ecclesie, communicatione politica, & civili, & a sepultura ecclesiastica, ergo data ejus definitio est insufficientis. R. neg. conseq. Censura enim privat dictis bonis corporalibus, & aliis, non directe, sed indirecte, prout conducunt ad bonum spirituale animæ, ut sic peccator respiscat, & a culpa, & a contumacia quantocius discedat.

6. Objic. 3. Censura sæpe fertur etiam in eos, de quorum emendatione desperatur, ergo non est poena medicinalis, ut peccator a contumacia discedat. R. neg. conseq. Quia semper censuræ ex se sunt medicinæ ad correctionem delinquentia ordinatæ, esto per accidens non consequatur suum finem principaliorem. Imò hic etiam aliquo modo obtinetur, tum per aliorum terrorem; tum per separationem contumacium, ne ceteros inficiant; tum denique quia licet censura sit principaliter medicina, est etiam punitio, seu poena. Regulariter tamen non debet Judex censuram excommunicationis proferre, si nesciat ipsi reo non profuturam, ut ait D. Thom. in 4. dist. 18. q. ult. a. 2.

PUNCTUM II.

Divisio censuræ.

7. Inq. 1. Quotuplex sit censura? R. Tres tantum dari species censuræ, quæ sunt excommunicatio, suspensio, & interdictum. Ita expresse constat ex cap. Quarinti. De verbor. signific. ubi interrogatus Innocent. III. quid in Bullis pontificiis nomine censuræ intelligatur, dixit: *respondemus, quod per eam, non solum interdicitur, sed suspensio, & excommunicationis sententia valeat intelligi.* Unde irregularitas ex delicto, depositio, & degradatio non sunt censuræ, ut patet ex dicta responsione, quæ absoluta, & decretoria est: Et quia irregularitas, depositio, & degradatio ex se sunt perpetuæ, & non exigunt auferri reo emendato; censura autem solum est ad tempus usque ad rei emendationem, quæ stante, debet auferri: est enim primario medicinalis, ut ait D. Thom. 3. p. q. 82. a. 8. ad 3.

8. Dices: Pontifex in sua responsione solum declarat illas tres esse censuras, non tamen negat dari alias, nec fuit lo-

cu-

Cap. I. De censuris in communi.

cutus de censuris, quæ possunt ferri ab homine, nec de speciebus infimis, sed de subalternis, sub quibus aliæ continentur, ergo non sequitur, quod irregularitas ex delicto, depositio, & degradatio censuræ non sint. R. neg. min. & conseq. Quia responsio Pontificis, utpote dogmatica, & doctrinalis universaliter debet intelligi; alias insufficienter, & diminute quesito respondisset. Eodem modo, ac si fuisset quesitus, quid nomine sacramenti in Bullis Pontificiis intelligatur? Responderet, quod baptismus, Eucharistia, & poenitentia; esset incongrua, & diminuta responsio, ut de se patet. Igitur dicendum est solum dari tres species censuræ jam numeratas.

9. Deinde censuræ ex parte causæ efficientis dividitur in eam, quæ est a jure, & in eam, quæ est ab homine. Illa est generalis, & per modum legis permanentis: ista vero est particularis, & per modum præcepti transitorii. Ideo illa, utpote generalis, fertur in omnes ad præcavendum peccatum futurum, ista utpote particularis, imponitur etiam pro peccato præterito, ut emendetur, vel ut pro eo detur satisfactio. Ab illa, si non est reservata, quilibet Confessarius potest absolvere; ab ista solum valet absolvere ejus Autor, vel ejus Superior, successor, aut delegatus. Unde esto censura dividatur ex parte subjecti in generalem, & particularem, hæc divisio coincidit cum divisione a jure, & ab homine ex parte causæ efficientis.

10. Denique dividitur censura ex parte formæ in eam, quæ est late sententiæ, & in eam, quæ est ferendæ. Illa statim sine alia sententiâ incurritur; secus vero ista, quæ comminatoria dicitur. Cognoscitur autem censuram esse late sententiæ dum, dicitur: *confestim, illico, ipso factio, incontinenti sit excommunicatus.* Erit autem ferendæ sententiæ, dum superior ait: *præcipimus sub poena excommunicationis, vel utitur verbis de futuro; ut excommunicabitur, suspendetur &c.* In dubio, an sit late, aut ferendæ sententiæ, censenda est ferendæ; quia in poenalibus dubia sunt benigne interpretanda. Concina in præsentibus, sic esse interpretanda dubia in meris poenalibus: sed ejus venia incongrue addit meris, quia censuræ non sunt mere poenales, sed poenales, & medici-

nales; ut nemo non videt. Censura posita verbis temporis præteriti, aut indicativi est late sententiæ; ut *noveris, se excommunicatum, volo, declaro, definio illum excommunicatum, suspensum, aut interdictum.*

11. Inq. 2. An hæc verba, *anathematisit, vel sit excommunicatus*, contineant censuram late, aut ferendæ sententiæ? R. Intelligi communiter de censura late sententiæ; tum quia tali forma utuntur sæpe Concilia adversus hæreticos, quos certum est voluisse ipso facto excommunicare. Tum quia licet verbum *sit* possit accipi pro futuro, aut optativo, proprius debet sumi pro præsentibus, & imperativo, quia virtus legis potiusquam optare est imperare, & punire. Ita Benedic. XIV. in Syn. lib. 10. cap. 1. n. 7. Ubi n. 8. im-probat *Van Espen*, qui non bene scripsit de censuris late sententiæ.

PUNCTUM III.
De potestate ferendæ censuræ.

12. Inq. 1. An sit in Ecclesia potestas censuras ferendæ? R. affirm. Est de fide definitum in Concilio Constantiensi, et Tridentino adversus hæreticos. Patet tum ex Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis &c.* Prob. ratione: Quia quælibet respublica bene ordinata habet potestatem non solum ferendæ leges, sed puniendæ rebelles; sed Ecclesia est respublica bene ordinata, ergo habet potestatem rebelles puniendæ censuris; quæ ideo dicuntur ensis, gladius, & nervus Ecclesie, ejusque disciplinæ.

13. Inq. 2. Quinam gaudeant potestate ferendæ censuræ? R. Omnes habentes jurisdictionem ordinariam in foro contentioso gaudere potestate ordinariâ illas ferendi. Unde illa gaudet Papa pro tota Ecclesia. Similiter Concilia generalia pro tota Ecclesia, Provincialia pro sua Provincia, & Diocesana pro sua Diocesi illa potiuntur. Pariter Cardinales pro Ecclesiis proprii tituli, Patriarchæ, Primate, Nuntii Apostolici, seu Legati a latere, Archiepiscopi, Episcopi, & eorum Vicarii, seu Provisores pro respectivis territoriis, secus vero Episcopi Titulares, seu in partibus,

tibus, quia subditis careat. Item Capitulum Ecclesie Cathedralis, & ejus vicarius Sede vacante. Denique Prelati regulares hac gaudent potestate majori, aut minori juxta cujusque ordinis statuta; ita ut Generalis pro toto ordine, Provincialis pro sua Provincia, & Prelati immediati quomodocumque vocentur; & in eorum absentia Præsides proprie tales eadem potestate fruuntur. Parochi autem sicut carent potestate in foro contentioso, ita carent potestate censuras ferendi.

14. Potest etiam hæc potestas acquiri consuetudine legitima, & præscriptione; ita tamen ut acquisita circa unam censuram, non acquiratur circa aliam; consuetudo quippe faciendi unum, non dat facultatem circa aliud distinctum. Valet etiam acquiri ratione delicti, quia hujus causa fit subditus delinquens.

15. Inq. 3. Quibus possit hæc facultas delegari? R. Certum esse, quod omnes gaudentes potestate ordinaria possunt eam delegare alteri apto ea utendi. Unde potestas hæc delegari valet cuilibet prima tonsura initiato, nisi sit conjugatus; tunc enim solum ex commissione expressa Papæ poterit ei delegari. Clericus autem, esto solum tonsura initiatus, valet esse vicarius Episcopi, ideoque frui potestate censuras ferendi. Religiosus vero non tonsuratus quantumvis professus, seclusa commissione Papæ, incapax est dictæ potestatis. Et potiori ratione femina, cui nec a Papa probabilis valet ea delegari, quia reputatur jure divino incapax talis potestatis. Ita D. Thom. in 4. dist. 19. q. 1. art. 1. q. 3. ad 4.

16. Objic. In cap. *Dilecti* jubetur obedire Abbatisse, quæ suspenderat clericos sibi subiectos, & de facto Burgis adest regale monasterium ord. Cisterc. Cujus Abbatisa fert censuras, & qualibet imponit præcepta, ergo femina non est incapax jurisdictionis spiritualis. R. neg. conseq. Nec in relato capite sermo est de suspensione, quæ sit censura, sed lato modo sumpta. Si autem velit dici fuisse veram censuram, intelligendum est fuisse latam non ab ipsa Abbatisa, sed ab ejus assessore clerico, ut accidit in memorato, & memorabili monasterio vulgo de *Huelga*. Ubi Abbatisa medio assessore fert censuras, ab eis absolvit, confert dimis-

sorias ad ordines, & licentias excipiendi confessiones in territoriis sibi subiectis. Præcepta vero a Priorissis, & Abbatisis solum sunt politica; ut matris familias, cui obedire tenentur moniales in conscientia juxta qualitatem, & gravitatem materiarum.

17. Sed quia mentionem fecimus de regali monasterio Burgensi, advertere velim, quod loquens de quadam Abbatisa Bened. XIV. In Bulla incipiente: *Quamvis justo*, ubi tria decernit: primo, *ad huc vigere constitutionem editam a summo Pontifice Urbano VIII. super suppressione Jesuitissarum. Secundo, Institutum Virginum Anglicanarum non esse Institutum Jesuitissarum. Tertio, Virgines Anglicanas tantum teneri observare constitutiones Clem. XI. In hac igitur Bulla ait, se non loqui de Superiorissa generali, qualis est Abbatisa Burgensis in Hispania, quæ capitulum generale in ipsa civitate Burgensi singulis annis celebrare solet.*

Amor autem veritatis me adigit, tamquam testis ocularis, qui Burgis pluribus annis sum commoratus, dicam, quod licet olim tale capitulum monialium fuerit congregatum, jam a tempore immemorabili obsolevit, ita ut in observantia clausuræ, quoad egressum e monasterio moniales Cistercienses non differunt a recollectioribus; nec umquam exeunt a suis monasteriis, nisi forte in casibus permissis a Pio V. Dicimus forte, quia nec hoc vidimus, quamvis per plures annos earum confessiones excipiendo, ipsarum agendi rationem noverimus. Est itaque earum Abbatisa superiorissa, velut generalis privativa plurium monasteriorum; sed nec capitulum generale congregat, nec gaudet jurisdictione spirituali.

18. Ut quis accipiat potestatem ordinariam, aut delegatam ferendi censuras, debet esse vir baptizatus, viator, mentis compos, & saltem tonsura initiatus. Clericus conjugatus, & laicus solum de commissione Papæ potest esse delegatus. Ut autem valide illas ferat, requiritur insuper, quod habeat intentionem ligandi, quod eam exprimat in particulari declarando speciem censuræ, quam imponit. Nam si diceret: *si hoc feceris, sis censuratus*, nihil efficeret, quia ut valet censura, debet dici: *sis excommunicatus, suspensus, aut*

in-

interdictus. Item requiritur, quod non sit impeditus utendi tali potestate, qua ratione, nec Episcopi Inquisitores, nec isti Episcopos possunt excommunicare, quia id ipsis est inhibitum in jure. Invalida est etiam censura lata in eum, qui antea legitime appellaverat, quia appellatio legitima suspendit usum jurisdictionis. Nec aliquis potest excommunicare æqualem, ut si unus Episcopus habeat duos Vicarios, unus alium excommunicare non potest, quia par in parem non habet imperium. Nec Superiorem, quia caret imperio in illum; nec alium in propria causa, quia nequit esse pars, & Judex; nisi sit in propriam defensionem. Nec excommunicatus, hæreticus, schismaticus, aut suspensus valet censuras ferre, quia est impeditus, cum ligatus alios ligare nequeat. Debet tamen publice constare esse vitandum; alias valide, esto illicitæ erunt censuræ ab eo late, error enim communis cum titulo colorato dat jurisdictionem.

19. Inq. 4. An sit valida censura ex metu lata? R. affirm. Quia, quæ sunt ex gravi metu, sunt simpliciter voluntaria, & consequenter jure naturæ valida, sed non adest jus positivum irritans censuram ex metu latam, ergo est valida. *Objic.* Absolutio censuræ ex metu extorta nulla est, ergo etiam ipsa censura. R. neg. conseq. Quia datur jus positivum annullans absolute censuram ex metu extortam, non vero censuram ex eodem metu latam. Unde licet ex se pares sint potestas ligandi, atque solvendi; ob justa tamen motiva a jure dispare sunt.

20. Inq. 5. An quis possit seipsum excommunicare, vel alia censura ligare? R. neg. Quia censuram ferre est actus jurisdictionis contentiosæ, quam nemo valet in seipsum exercere. *Objic.* 1. Potest Pontifex, ac Episcopus sibi indulgentias concedere, & secum dispensare in votis, aut jejuniis, ergo etiam seipsum censuris ligare. R. neg. conseq. Quia concessio indulgentiæ, aut dispensatio est actus jurisdictionis gratiosæ; ferre vero censuras est jurisdictionis contentiosæ; ideo potest quis secum primum, non secundum, exercere. Nota autem dupliciter posse dispensari in voto, & concedere sibi indulgentias Pontificem, aut Episcopum, nempe immediate sicut alteri ob hoc, vel illud

Tom. II.

pium opus; vel mediate concedendo in generali eas tale opus facienti. Et tunc si illud ipse efficiat, lucratur indulgentias, sicut cæteri, & hoc modo regulariter sibi eas concedit.

21. *Objic.* 2. Pontifex, & Episcopus absolvitur in foro conscientie ab alio, cui ipsi delegant facultatem, ergo eodem modo poterit ligari censuris facultate ab ipso delegata. R. neg. conseq. Quia Confessarius semel designatus a Papa, vel Episcopo gerit vicem Dei in confessione: Ideo ibi superior fit inferior Confessario, quod non accidit in foro externo. Hinc infertur Papam non posse ligari censura: non a se, ut ex dictis patet, nec ab alio, quia non habet Superiorem in foro externo. Pariter infertur, quod si Episcopus ferat excommunicationem v. g. contra furantes, esto ipse furetur, illam non incurrit, quia respectu sui ipsius nequit jurisdictionem coactivam exercere.

PUNCTUM IV.

De forma ferendi censuras.

22. Inq. 1. Quid requiratur, ut censura valide feratur? R. Non sufficere id Judicem velle, sed debere verbis, scripto, aut signo aliquo id ostendere, exprimendo censuram in specie. Non tamen adsunt verba, aut signa determinata, dummodo voluntas ferentis censuram determinatam sufficienter declaretur. Unde mutus potest illam ferre signis certis, aut in scriptis. Si feratur censura sub distinctione, dicendo: *Si non restituas intra mensem, se excommunico, aut suspendo*, valida est, esto illicita, & quam reus elegerit, incurrit. Debet tamen exprimi in suspensione, an sit ab officio, vel beneficio. Excommunicatio absolute lata intelligitur de majori, quia analogum per se sumptum stat pro famosiori. Valerari censura sub conditione de præterito, aut præsentis, & tunc non suspenditur, quia, si adest conditio, incurritur, secus vero, si non adest. Lata sub conditione de futuro, ut *si non restituas intra octo dies*, suspenditur usque ad id tempus. Hoc autem valet prorogari a creditore, ad cujus instantiam fuit lata censura, quia sicut potest remittere debi-

Aaa

tum,

tum, ita valet tempus protrahere; at non solvendo in termino designato, vel a creditore protrahere, incurritur censura a debitore culpabiliter moroso.

23. Objic. Solum ille, qui tulit censuram, valet eam suspendere, ergo non creditor. R. In dicto casu suspendere censuram ipsum, qui eam tulit, sed quia eam tulit ad petitionem partis, hac prorogante terminum solutionis, vult Judex, quod censura suspendatur juxta partis voluntatem.

24. Inq. 2. Quæ solemnitas debeat observari, ut censura licite feratur? R. Innoc. IX. in cap. 1. *Cum medicinalis*. De sent. excom. in 6. illam designare, præscribendo debere proferri excommunicationem in scriptis, conscribendo exemplum ejus causam. Deinde debere exemplum scripturæ tradidit excommunicato infra mensem, si fuerit Judex requisitus, super qua requisitione faciendum est publicum instrumentum sigillo authentico consignatum: atque idem est observandum pro censuris suspensionis, & interdicti ferendis sub pena suspensionis ab ingressu Ecclesie, & officiis divinis, à violatore ipso facto incurrenda; nisi ex justa causa dictam solemnitatem omittat. Episcopi autem dictam penam non incurrunt, quia de eis in hoc capite non fit mentio, sine qua penas in jure contra violatores assignatas Episcopi non incurrunt. Nec prælati regulares tenentur observare apices juris in censuris ferendis, tum ex privilegio, tum ex consuetudine. Nec dicta solemnitas requiritur ad valorem; valida enim est censura lata sine illa; peccabit tamen graviter Judex eam omittens absque causa, quando, citatione præmissa, & cognitione cause, fert censuram per modum sententiæ.

25. Inq. 3. An præcedere debeat monitio censuram? R. Sub distinctione. Vel enim censura fertur à Jure, vel ab homine ad præcavendum malum futurum, aut per modum statuti generalis, & tunc nulla requiritur specialis monitio, quia ipsum jus satis admonet, & pariter præceptum, quamdiu durat, semper monet, ergo tunc non requiritur specialis monitio, nisi in ipso exigatur, ut dicat: *Nisi monitus respiciat*. Vel censura fertur ab homine per modum sententiæ ob delictum

commissum habens tractum successivum, ut quando ponitur excommunicatio, ut furtum restituatur. Et tunc jure naturali, divino, & humano debet præcedere monitio. Patet ex cap. 18. *Matth. Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnus*. Ratione etiam liquet, quia ad censuram incurrendam requiritur contumacia; contumax autem non est, qui prius monitus non fuit. Pariter, ut quis declaretur censuratus, citari debet, ut facti, aut delicti rationem reddat, sicut fecit synodus Ephesina *Act. 1. dum canonibus obtemperans, tertio Nestorium vocavit*.

26. Hæc autem monitio fieri debet, esto delictum sit notorium, imo esto contumacia sit etiam notoria, quia absque monitione contumacia erit utique in affectu, sed non in effectu; hæc quippe absque monitione adesse nequit, aliud enim est contumacia contra legem, aliud contumacia contra Judicem. Atque eadem ratione requiritur monitio pro incurrenda censura ferenda a jure imposita, quia aliud est, quod quis sit inobediens juri comminanti censuram, aliud, quod sit inobediens homini illam infligenti; ad hoc enim requiritur monitio ab ipso homine. Quando autem in jure adest censura lata sententiæ, sine ulteriori monitione incurritur, ut dictum est.

27. Inq. 4. Quot monitiones debeant præcedere censuram? R. Quod trina monitio, vel una pro tribus, quæ virtualiter trina sit, præcedere debet. Hæc autem monitio trina, vel una pro tribus dicitur in jure *competens*, & frequentius *canonica*. Tunc præcedit trina monitio, quando separatim reus ter monetur, assignato pro unaquaque congruenti temporis intervallo pro diversitate negotiorum, & circumstantiarum. Unde licet regulariter servari debeat intervallum ad minus duorum dierum; potest tamen ex causa redigi ad unum diem, vel ad brevius tempus. Tunc fit monitio una pro tribus, quando Judex, dato congruo spatio temporis, monet illam unicam valere pro tribus.

28. Semper fieri debet monitio, vel in scriptis, vel coram testibus idoneis ab ipso Judice, vel ejus nomine; alias contumacia non esset contra mandatum Super-

terioris. Quando fertur censura contra personam particularem, debet monitio fieri ipsi personæ, nisi dolose se subtraxerit, aut vi impediatur, vel careat domicilio; in his enim casibus sufficit fieri in Ecclesia, aut loco publico, affigendo chirographum, in quo causa, & reus censuræ exprimitur. Si una monitio facta fuerit ipsi reo, vel probari possit ad ejus notitiam pervenisse, reliquæ fieri possunt ad ejus domum, Ecclesiam, aut locum publicum. Censura lata sine dictis monitionibus, esto sit illicita graviter, valida tamen est, quia non sunt de solemnitate substantiali, sed accidentaliter. Excipitur duplex casus, in quo censura, ommissa trina monitione, aut una pro tribus, nulla est. Primus est, quando Judex excommunicat, suspendit, aut interdicat communicantem cum excommunicato a se. Secundus, quando delegatus ea conditione facultatem ferendi censuras accepit, ut non nisi præmissa trina monitione canonica illas ferat.

PUNCTUM V.

De tempore, & loco ferendi censuras.

29. Inq. 1. Quibus diebus ferri debeat censura? R. Diebus feriatis non debere ferri per modum sententiæ cum strepitu judiciali, & cognitione cause. Erit tamen valida, esto graviter illicita censura dictis diebus sic prolata. Potest vero licite ferri per modum legis, aut statuti generalis, aut sine cause cognitione diebus feriatis. Imo ligatus jam censura, quolibet die denunciari valet; citari tamen prius debet, ut audiatur, & se defendat; quod si delictum agnoscat, & emendationem promittat, non est denunciandus. Ab eo facienda est denuntiatio, a quo lata fuit censura; si vero inflicta sit à jure, denunciari debet ab Episcopo loci, in quo incurta fuit censura.

30. Inq. 2. An extra proprium territorium possit quis ferre censuras per modum sententiæ? R. neg. Quia jurisdictio contentiosa nequit exerceri extra proprium territorium, ut sæpe cavetur in jure canonico. At valida, & licita est censura lata extra proprium territorium per modum statuti, pro delictis futuris præca-

vendis, vel quando causa jam est cognita in proprio territorio, quia tunc non fit cum strepitu judiciali. Eadem ratione potest Episcopus absolvere a censuris suos subditos extra proprium territorium. Potest etiam eos ligare censuris extra suum territorium, aut locis vicinioribus, quando est injuste expulsus à sua Diocesi, petita, & non obtenta licentia a loci Ordinario. At isto consentiente, valet extra propriam Diocesim ferre censuras in subditos utriusque cum consensu partium.

31. Inq. 3. An Episcopus in sua Diocesi existens possit ligare censuris suum subditum extra existentem, pro delicto intra illam commissio, ut si subditus Episcopi Salmanticensis ibi furatus fuerit, & exeat ad Diocesim Abulensem, poterit ne a proprio Episcopo censuris ad restitutionem obligari? R. affirm. Alias impunitus maneret delinquens: si enim non posset puniri a proprio Pastore, a nullo posset; quia ab alieno non potest, cum non sit illius subditus: igitur valet puniri a proprio ob delictum in proprio territorio perpetratum.

32. Objic. 1. *Ex cap. Ut animarum*. De const. in 6. *Cum extra territorium jus dicenti non paratur impune*. 2. Rex nequit punire subditum existentem in alio regno, esto in proprio deliquerit. 3. Quia nequit citari, ergo nec ligari censuris. R. ad 1. Textum illum loqui, quando delictum non est commissum in proprio territorio, quo in casu jurisdictio Episcopi non extenditur ad subditum in alio Episcopatu existentem. Ad 2. quod Rex solum potest punire vi coactiva corporali, quæ in alieno regno non exercetur, ne turbetur pax Principum, & regnorum. At censura est poena spiritualis, que ipso facto incurritur, unde paritas non tenet. Ad 3. Quod citatio partis est actus requirens strepitum, secus vero incurso censuræ; ideo ista, non illa valet fieri extra proprium territorium.

33. Si censura imponatur ob actum, vel omissionem in proprio territorio consummatum, incurritur ab existente in alieno. Ut si Episcopus jubeat sub censura clericis venire ad synodum, aut suæ Ecclesie assistere, inobedientes illam incurunt, esto sint extra Diocesim, quia absentia, seu non præsentia consumatur

tra intra propriam Diocesim. Contra vero, si delictum fuit inchoatum in proprio territorio, & consummatum in alieno, non incurritur censura. Ut si sit lata contra stuprum committentes, & illum quis in proprio territorio inchoavit tacitus, sed extra consumavit; quia censura fertur contra actum in sua linea completum. At si quis lethaliter alium vulneravit in proprio territorio, licet extra moriatur, incurrit censuram latam contra homicidas, quia tota actio occisiva fuit consummata ex sua parte in proprio territorio.

34. Inq. 4. An Episcopus possit punire censuram existentem, & delinquentem in aliena Diocesi? R. neg. Quia jurisdictione Episcopi limitatur quoad personas, & locum suae Diocesis, nisi ratione delicti sortiatur forum, ergo dum extra ejus territorium est persona, & ibi delinquit, non subjacet censuræ illius. Unde si Episcopus ferat censuram contra accedentes ad monasteria monialium, & contra cum eis loquentes, accedens ad monasterium exemptum illam incurrit, secus vero loquens cum illis. Ratio primi est, quia accessus, seu via subditur ditioni Episcopi. Ratio secundi est, quia monasterium exemptum reputatur extra suam ditionem quoad jurisdictionem. Alienum autem subditum delinquentem in sua Diocesi valet punire censuris, quia ratione delicti sortiatur forum, & fit ejus subditus; nisi exeat, priusquam illum citet, aut ejus causam incipiat, quia non est ejus subditus simpliciter, sed tantum ratione delicti, & manens in ejus territorio, saltem usque ad citationem, aut causæ inchoationem.

35. Inq. 5. Quos obliget præceptum sub censura impositum ad præcavendam delicta futura, vel ad revelanda commissæ? R. Quod si lata sit per modum statuti, aut legis prohibentis futura delicta, ligat etiam alienigenas ibi existentes animo degen- di pro aliquo tempore; secus si solum adsit pro brevi transeunter, quia talis lex fertur in favorem territorii. Si sit per modum sententiæ, aut præcepti particularis, solum obligat subditos præ- sentes, quia primario respicit personas. Si denique imponatur per modum legis permanentis, ligat subditos præsentis,

& etiam futuros, quia intentio ferentis est, quod semper duret, & obliget. Censuræ latæ a Prælati regularibus in proprios subditos, ligant eos, ubicumque existant, quia illorum jurisdictione non tam locum, quam personas respicit.

PUNCTUM VI.

De materia censura.

36. Inq. 1. Quæ sit causa materialis, seu materia censura? R. Esse culpam, imo culpam contumacia contra præcepta Ecclesiæ. Culpam enim ut sic est velut materia remota censura, contumacia vero est ejus materia proxima. Quia ratione nec culpa solum contra jus divinum, & naturale; nec culpa solum omnino præterita potest puniri censura; sed requiritur culpa contumacia contra mandata Ecclesiæ, aut Superioris Ecclesiastici. Unde censura lata sine ulla culpa invalida est, quia censura est pœna, quæ proprie talis solum pro culpa valet infligi. Imo pro excommunicatione, suspensione, & interdicto personali requiritur culpa propria, quia pro culpa aliena non debet puniri innocens.

37. Objic. 1. Deus sæpe punivit ob peccata parentum filios, & ob delicta aliorum innocentes, ut patet in diluvio, & incendio Sodome. 2. Idem contingit in interdicto locali, quo innocentes ob peccata aliorum puniuntur censura, ergo hæc infligi valet ob culpam alienam. R. Ad 1. Pœnas a Deo inflictas filiis pro delictis parentum, & innocentibus pro peccatis aliorum non fuisse proprie pœnas, sed quasdam pœnalitates, pro quibus non requiritur culpa propria, nam etiam aliena potest esse earum causa, ut patet in Adami peccato; ob quod omnes ejus filii quotidianas patimur pœnalitates, non alia ratione, nisi quia sumus aliquod ejus, & cum eo connexionem habentes, per quod patet etiam ad 2. & fusiis mox patebit.

38. Inq. 2. Qualis culpa requiratur pro censura ferenda? R. Culpam debere esse pœnæ proportionatam. Ideo censura levis, ut excommunicatio minor, ferri valet pro culpa levi. At censurae graves late sententiæ nequeunt imponi nisi pro culpa gra-

gravi. Si autem censurae graves sint ferendæ sententiæ, distinctio opus est. Vel enim continent clausulam, quod absque ulla monitione possint a Judice applicari, vel non; si primum, requiritur culpa gravis, quia eo ipso absque alio peccato, & monitione incurritur tunc censura gravis, ergo culpa gravis requiritur pro illa juste imponenda, alias esset pœna culpæ improporionata. Si secundum, non requiritur culpa gravis præcise, quia eo ipso, quod requiratur monitio, si materia non sit multum gravis, potest imponi pro culpa levi. Hinc resolvitur illud dubium, an præceptum Superioris sub censura in materia ex se non gravi obliget graviter? Ad quod fit satis sub distinctione data; vel enim præceptum affert dictam clausulam, vel non: Si primum, obligat graviter; secus si secundum, ut dictum est tract. de legib.

39. Objic. 1. Excommunicatio minor est pœna gravis, privat enim receptione sacramentorum, quæ privato est malum grave; & tamen imponitur pro culpa levi, ergo pro culpa levi valet infligi pœna gravis. 2. Percussio levis clerici punitur excommunicatione majori. 3. sæpe imponitur censura late sententiæ pro culpa levi, ut pro ingressu ad talem domum, aut pro accessu ad monasterium monialium, & similibus, ergo.

40. R. Ad 1. Quod excommunicatio minor licet privet bono notabili spirituali, non reputatur pœna gravis, quia facile potest quis ab ea absolvi, & eximi; ideo valet infligi, etiam pro culpa levi. Vid. D. Thom. suplem. q. 23. a. 3. ad 3. Ad 2. Quod percussio clerici, pro qua incurritur excommunicatio major, solum est levis respective ad mediocrem, & enormem; in se tamen supponitur gravis absolutè. Ad 3. Quod dum fertur censura contra ingredientem talem domum, & similia, materia ex se levis, fit gravis ratione scandalii, aut periculi. Unde nunquam censura late sententiæ infligitur pro materia, aut culpa undequaque levi. Imo censura non debent imponi nisi pro culpa gravissima, aut cui aliter nequeat mederi, sunt enim velut extremum remedium, inferens gravissimum spirituale præjudicium.

41. Inq. 3. An pro actu pure interno

possit ferri censura. R. neg. Quia licet potestas Ecclesiæ sit spiritualis, residet tamen in hominibus, qui actus mere internos cognoscere, aut de eis judicare nequeunt. Unde pro hæresi pure interna non incurritur censura contra hæreticos lata. Hanc sententiam amplectitur in præsentibus, & defendit P. Concina, licet tract. de legib. contra Salmanti æriter teneat legislatores humanum posse præcipere, & prohibere actus mere internos; quod si verum foret, non est, cur Ecclesiæ ferre non posset censuras per modum statuti generalis contra hæreticos mere internos, & alios delinquentes.

42. Objic. Potest Ecclesiæ dispensare in votis mere internis, & irritari illa, reservare etiam peccata pure interna, ergo poterit pariter ferre censuras pro eisdem actibus internis eos præcipiendo, aut prohibendo. R. neg. conseq. Quia Ecclesiæ nequit dispensare in votis sine causa, & ejus cognitio; unde dispensat in votis sibi manifestatis. Irritatio vero non est actus jurisdictionis, sed plenitudo domini in voluntatem inferioris. Reservatio autem proprie cadit supra jurisdictionem Confessarii, ne valeat absolvere peccata sibi confessa. Unde non est actus jurisdictionis directæ exercitus circa peccata interna, sed circa ministrum inferiorum. Aliæ objectiones solutæ manent loco citato, ubi etiam explicatur, quando, & quomodo actus interior ut forma exterioris, aut ex connexionem cum eo valet præcipi, aut prohiberi a Legislatore humano. Unde ex omnibus habetur conclusio generalis, quod solus actus exterior potest præcipi, aut prohiberi sub censura.

43. Inq. 4. Qualis actus exterior requiratur pro incurrenda censura, sub qua prohibetur? R. Non sufficere actum, utcumque; sed requiri actum externum, qui ab interno procedat, & sit completus in sua linea, ac plene significativus. Nec sufficit affectus, intentio, aut conatus aliquid faciendi, nisi de facto fiat, & sequatur; dummodo lex non expimat velle etiam conatum punire, ut in Clement. De pœn. cap. 1. ubi puniuntur censura religiosi mendicantes, qui in concionibus, aut colloquiis conantur avertere fideles a solutione decimarum. Unde attendi debent verba legis prohibentis,

PUNCTUM VII.

De censura contra mandantes, & consiliantes.

44. Inq. 1. An censura contra aliquid facientes comprehendat mandantes, & consiliantes? R. neg. Quia, quoties vult illos comprehendere, eos exprimit, ergo quando illorum non meminit, eos censura ligare non intendit. Unde nisi aliquando exprimentur, non comprehenduntur, nec censura ligantur. Nec officit, quod facientes, & consentientes pari pena puniuntur, & quod per alios facimus, per nos facere dicitur. Nam primum est verum quoad Deum; idem enim peccatum committunt: secus vero quoad Ecclesiam, quæ si vellet punire mandantes, eos exprimeret. Secundum pariter est verum improprie, & in favorabilibus, non in odiosis, quæ stricte, & proprie sunt interpretanda; odia enim sunt restringenda. Ex mera ratihabitatione mali ab alio perpetrati non incurritur censura, nisi in percussione clerici; quia mera ratihabito nullum præstat influxum.

45. Inq. 2. An censura lata contra mandantes, & consiliantes comprehendat illos, qui dederunt mandatum, & consilium simplex, minime influens in effectum? R. Quod si mandatum, vel consilium auxit, vel acuit animum ad malum faciendum, comprehendit illos censura, quia vere sunt causa, aut concausa mali perpetrati; ac proinde in censura comprehensit. Si autem mandatum, aut consilium nec acuit animum, nec influxit in effectum, vel quia non fuit peccatum, vel quia alius non se movit ad illum ex mandato, aut consilio, non comprehendit eos, quia tunc nec sunt causa moralis, nec influunt in effectum vetitum. Verum si dubitaretur, an influxerint, probabilis comprehenduntur, quia constat de mandato, & consilio; & solum dubitatur de influxu, quo in casu possessio stat pro lege.

46. Inq. 3. An, si mandatum, aut consilium fuit efficaciter, & pro viribus revocatum, incurrat censura a mandante, seu

consiliante, secuto effectu prohibito? R. Sub distinctione; vel enim revocatio innotuit mandatario, aut consiliario, vel ad eos intimata non fuit. In primo casu de mandante omnes tenent non incurtere censuram: quia, supposita efficaci revocatione intimata mandatario, si effectus sequatur, non a mandato, sed a sola malitia mandatarii causatur. At de consiliante quidam aliter sentiunt; putant enim, quod, licet revocatio consilii innotescat consiliario, adhuc in hujus mente perseverat ratio, quæ illum induxit ad executionem actionis vetitæ. Sed idem tenendum est de consiliante, ac de mandante. Vel enim consilium fuit mere approbativum sine peculiari ratione, aut instructione, & tunc nemo negare valet sufficere ejus revocationem cum aliqua ratione Christiana serio intimata ad illud convellendum. Si autem consilium fuit rationibus fultum, intimatis aliis æque, vel plus solidis ad illud dissuadendum, elidendum, & repellendum, effectus subinde secutus non est imputandus consilianti, sed protervia, & contumacia consilii.

47. In secundo autem casu major est difficultas: nam, si revocatio mandati, aut consilii non innotuit mandatario, mandans, aut consulens sunt causa moralis actionis vetitæ sub censura, ergo illam incurrit, ajunt plures; esto poenitentia ducti, sint in statu gratiæ. Nihilominus oppositum verius putamus, si modis omnibus curarunt, quod revocatio perveniret ad notitiam mandatarii, aut consilii. Tum quia censura non incurritur ob contumaciam præteritam, sed ob actuale; in eo autem, qui serio, & efficaciter poenitet de consilio, aut mandato, non est contumacia actualis: Igitur nec censura incurritur ab eo. Tum quia censura est medicina applicanda ægrotis, non sanis, ergo sanus, qui est in gratia, nec indiget censura, nec est dignus, ut ea puniatur; alias medicina daretur sano, non indigenti.

48. P. Concina lib. 3. de cens. c. 4. a num. 13. duo tenet opposita his sententiis. Primo, quod, esto revocatio seria mandati, aut consilii innotescat mandatario, aut consiliario, incurritur censura a mandante, & consiliante, si effectus sequatur.

tur; quia talem, inquit, consiliator imprimere persuasionem potest, quæ nullo modo queat a consiliante revocari. Sed non procedit consequenter; Ipse enim intract. de restit. lib. 2. diss. 2. c. 9. §. 2. num. 23. loquens de consiliante inquit: Quando consiliator contrariis, & veris rationibus dissuadere studet suo clienti, nihilque intentatum reliquit, ut a malo consilio eum abducat, licet supersint phytice in mente priora dictamina, moraliter tamen deleta sunt, & abrogata. Ex sola quippe malitia clientis, qui consilium accepit, dictamina illa moraliter influunt in malum secutum. Ex his ut probabiliorem adoptat sententiam Salmanticensium, quæ liberat a restitutione consulentem in casu memorato, ergo inconsequenter procedit non liberans eum in eodem casu a restitutione, nec a censura in fine n. 18. Vid. a nobis dicta tract. 19. n. 93.

49. Secundo ut falsam rejicit sententiam Salmant. qui docent mandantes, aut consulentes non incurtere censuram, quando ante effectum secutum serio, & ex animo revocarunt mandatum, aut consilium, & modis omnibus studuerunt revocationem intimare suis clientibus, & non potuerunt. Arguit igitur contra eos Concina sic: Quis enim prohibet aliquem esse in gratia simulque excommunicatum? An excommunicatio impedit, ne homo in gratiam restituatur? Sed hic scrupulus dispellitur ex ipsa definitione, & natura censure: Ex ea enim patet, quod solum a contumaci potest incurri. Unde licet censura non sit incompatibilis cum gratia in facto esse, bene vero in fieri. Quamvis namque excommunicatio non impediat gratiam, gratia tamen impedit excommunicationem subsequentem. Potest quis esse conjugatus, & simul religiosus, aut Sacerdos, ex quo inepte arguitur, quod religiosus, aut Sacerdos possit fieri conjugatus. Potest amens esse simul censuratus, sed non potest amens incurtere censuram. Eodem igitur modo potest excommunicatus esse simul justus, nequit simul fieri excommunicatus. Præterea ipse Concina loco cit. num. 1. ait de censura, quod, sanitate habita superflua est, quia si peccator respiscat, non est contumax, ergo inconsequenter posita asserit, quod, esto respiscat, & sit

in gratia, ligatur censurâ. Mitto alias inconsequentias, ne fusior flam, dum brevitati consulere cupio. Circa exemplum propinantis venenum, & respiscantis ante effectum secutum, notari debet, quod licet respiscantia liberet a censura, non vero a restitutione; hæc enim non dependet a contumacia, sed oritur ex damno illato jure naturæ. Nota etiam, quod venenatus vivere potest per aliquot dies, in quibus propinator valet commode, ac serio poenitere, & in gratia constitui, & in tali casu dicimus non incurtere censuram in foro interno.

PUNCTUM VIII.

De subjecto censure.

50. Inq. 1. Quæ condiciones requirantur, ut quis censuris ligari possit? R. Quinque condiciones requiri. 1. Quod sit homo viator. 2. Quod sit baptizatus. 3. Quod sit rationis compos. 4. Quod sit subditus. 5. Quod sit persona determinata, prout mox dicitur. In primis igitur subjectum censure debet esse homo; bruta enim incapacia sunt censura. Unde quando locusta, bruchus, mures, & similia anathematizantur, non est proprie ferre censuras, sed ea execrare, petendo a Deo eorum repulsionem, & destructionem. Item debet esse viator subditum censure, quia potestas ligandi data Ecclesie solum est super terram. Si autem aliquando mortui anathematizantur, solum est indirecte privando vivos, ne eos sepeliant in loco sacro, aut ne pro eis suffragia publica offerant. Et quando absolventur, tollitur vivis prohibitio eos sepeliendi, pro eis orandi, aut cum eis communicandi in suffragiis publicis.

51. Secunda conditio est, quod sit baptizatus; quia Ecclesia non regit illos, qui foris sunt; ideo Judæi, Saraceni, & alii non baptizati nequeunt plecti censuris. Possunt tamen hæretici, qui semel, quod sint baptizati, subduntur Ecclesie, postestati. Tertia est, quod sit rationis compos; imposit enim rationis, sicut nequit peccare, ita nec censuris ligari, saltem directe. Impuberes autem rationis capaces licet verberibus potius, quam censuris puniri debeant, valent tamen etiam cen-

censuris ligari, & de facto ligantur ob clerici percussione, violationem clausuræ monialium, & interdicto locali. Aliis vero censuris a jure, vel ab homine non ligantur, nisi exprimentur, ut communiter sentiunt. AA. ex Ecclesie benignitate ob teneram puerorum etatem.

52. Quarta est, quod sit subditus. Hinc nemo potest seipsum ligare censura, quia nemo valet esse in eadem causa reus, & iudex; nec superiore, nec æqualem, quia par in parem non habet imperium. Unde Papa nequit censuris ligari, nisi a fide deficiat. Tunc enim iudicari, & condemnari valet a Concilio ex cap. Papa dist. 20. Imperatores, Reges, Imperatrices, & Regine a solo Papa queunt ligari censuris. Episcopi, & Cardinales in suspensione, & interdicto generaliter latis non comprehenduntur, nisi specialis de eis mentio fiat. At secus est de excommunicatione; cui sine ulla mentione subjacent: ab hac enim non excipiuntur Episcopi, sicut excipiuntur ab illis in cap. Quia periculosum. De sent. excom. in 6.

53. Quinta conditio est, quod sit persona determinata. Unde communitas licet possit suspendi, aut interdici, non tamen excommunicari per modum sententiæ, quia non est credibile singulos communitatis deliquisse, quin aliqui sint innocentes. Potest autem excommunicatio ferri in communitatem per modum præcepti, aut statuti; tunc vero potius fertur contra particulares transgressores præcepti, quam contra communitatem. Si omnes alicujus communitatis reperirentur delinquentes posset illa communitas excommunicari a Papa licite, & valide; ab aliis superioribus valide, sed illicite. Ex cap. Romana, de sent. excom. in 6.

54. Inq. 2. An quis, incurta una censura, possit aliam, vel alias simul, incurtere? R. affirm. Vel enim sunt diversæ rationis, & sic non est dubium, quod excommunicatus possit suspendi, & interdici, saltem ob diversa delicta. Censuræ quippe diversæ rationis sunt privationes distinctorum bonorum. Vel sunt ejusdem rationis, ut plures excommunicationes, & sic etiam una incurta, potest incurri alia, & alia: quia multiplicatis causis debent multiplicari effectus, & iteratis culpis iteratæ poenæ

respondent. Unde percussor duplici clerici, vel ejusdem duplici tempore moraliter diverso duplicem censuram incurrit. Quoties igitur delictum sub censura vitium est moraliter diversum, diversa incurritur censura, quia adest malitia, & contumacia moraliter diversa. D. Thom. q. 22. a. 6.

55. Objic. Excommunicatio est privatio totalis bonorum, quibus Ecclesia fidelem privare valet; sed privatio totalis non suscipit magis, & minus, ergo semel incurta una excommunicatione, non potest incurri alia; sicut, qui semel est cæcus, nequit aliam cæcitatem incurere, vel amplius privari visu. R. Ex D. Thom. in addit. q. 22. a. 6. ad 2. Ad 2. dicendum quod privatio, quamvis non recipiat magis, & minus secundum se, recipit tamen magis, & minus secundum suam causam, & secundum hoc excommunicatio potest iterari: & magis elongatus est a suffragiis Ecclesie, qui pluries est excommunicatus, quam qui semel tantum. Ad exemplum visus dicitur, aliud esse de privationibus physicis, aliud de moralibus, quia illæ commensurantur solum a forma, qua privant, ista vero etiam a causa. Unde, iterata causa, iteratur privatio, ut patet in peccato mortali, quod, licet sit privatio totalis gratiæ, multiplicatur in eodem subjecto juxta iterationem actus, per quem incurritur, sive sit ejusdem, sive diversæ rationis. Præterquam quod, magis elongatur a visu, qui caret organo, quam qui solo oculorum lumine caret.

56. Nota tamen effectum formalem censuræ, licet inducat privationem, proprius consistere in quodam impedimento, seu vinculo morali, quo ligatur, & impeditur censuratus, ne participet bona communia spiritualia Ecclesie. Unde multiplicata censura, multiplicatur vinculum morale, quo magis elongatur a dicta participatione, & ablato uno per absolutionem, potest manere aliud, sicut, si essent duo obstacula lucis, ut hæc intraret in cubiculum, non sufficeret tollere unum, ut fugerentur tenebræ, quæ sunt privatio lucis, nisi auferatur aliud, quod etiam illius ingressui obstabat. Et idem est de ligato duplici compede, cui uno soluto, opus est aliud solvere, ut possit ambulare.

57. Inq. 3. An propter idem delictum possint incurri plures censuræ? R. Solam unam regulariter incurri, quando censura lata est a pluribus eandem potestatem habentibus. At si delictum sit vitium a diversis Superioribus ex motivo formaliter diverso, possunt ob idem delictum incurri plures censuræ. Unde potest quis excommunicari a jure, & ab homine, vel ab Episcopo, & ab Inquisitore, vel ab Episcopo originis, domicilii, & a Papa, quia potest dari diversa formaliter contumacia, & inobediencia, qua diversa potestas violetur. Igitur potest quis incurere plures censuras, sive ex distinctis causis, sive ex diversis Superioribus.

PUNCTUM IX.

De causis excusantibus a censura incurrenda.

58. Inq. 1. Quot, & quæ sint causæ excusantes a censura incurrenda? R. Septem communiter numerari. 1. Est nullitas censuræ, vel quia fertur a iudice in competenti, vel sine jurisdictione, vel absque aliqua monitione, vel interposita legitima appellatione. 2. Injustitia causæ, sive innocentia partis. 3. Ignorantia. 4. Metus gravis. 5. Impotentia. 6. Necessitas. 7. Voluntas partis, in cujus favorem lata fuit censura, de quo superius diximus. Regula generalis est, quod excusatus ex quocumque capite a peccato contra legem ecclesiasticam, excusatur a censura incurrenda.

59. Inq. 2. An omnis censura injusta sit nulla? R. neg. Quia potest esse injusta ex pravitate animi iudicis, vel ex defectu alicujus requisiti accidentalis, & tamen valida, si nullum requisitum essentialia ei deficiat. Potest etiam censura esse injusta in re, & justa secundum allegata, & probata. Tunc erit injusta materialiter, quia indigitur innocenti, sed formaliter justa, quia applicatur legaliter probato reo.

60. Inq. 3. Quomodo gerere se debeat certus de sua innocentia, censuratus juridice ut reus? R. Quod in oculo, & privatum non tenetur obedire, & potest se gerere, ac si talis censura non esset, quia in rei veritate, & coram Deo non incur-

rit illam. Tamen in publico, & coram ignorantibus ejus innocentiam, debet se gerere ut reus ad vitandum scandalum. Imo in foro externo cogetur, si non obediatur, subire poenam, nisi appellatione, aut alia via se subtrahat, aut publice suam innocentiam depromat.

61. Inq. 4. An ignorantia censura excuset ab illa incurrenda? R. Sub distinctione. Ignorantia quippe invincibilis juris, facti, ac etiam censuræ excusat; quia quælibet ex his ignorantibus, si vere invincibilis est, excusat a culpa contumaciæ requisitæ ad eam incurrendam, ergo non incurritur, quavis ex illis adstante. Ut de censura v. g. contra ingredientem in monasterium monialium, ignorans invincibiliter legem id prohibentem, vel monasterium esse monialium, vel ipsam censuram, sub qua prohibetur, non incurrit illam. At quia difficile est dari ignorantiam invincibilem, & non semel affectatur, ubi vere non est, ideo raro excusantur feminæ ingredientem monasteria virorum, & viri ingredientem monasteria monialium.

62. Si Ignorantia est vincibilis graviter culpabilis, etiam distinctione opus est. Vel enim censura lata est contra facientes hoc, vel illud scienter, temerarie, præsumptuose, dolo, vel temerario ausu, & tunc non incurritur censura cum ignorantia vincibili, crassa, aut supina, quia lex ad eam incurrendam, requirit notitiam, seu scientiam non solum legis, sed & censuræ. Nisi sit ignorantia affectata ad liberius peccandum, tunc quippe notitia adest, esto affectetur non adesse, ideoque talis ignorantia æquiparatur scientiæ. Si autem censura sit lata absolute sine ulla ex dictis clausulis, ignorantia crassa, & supina non excusat, ut patet ex cap. Cum animar. de constit. in 6. Ubi decernitur ignorantiam, quæ non sit crassa, & supina excusare a sententiis Ordinariorum, ergo quæ crassa, & supina est, non excusat. Et idem est dicendum de ignorantia graviter vincibili distincta a crassa & supina, quæ probabilis non excusat a censuræ incurensione, esto vere adsit, si dicatur pure vincibilis. En verba constit. Ut animarum periculum obviatur, sententiis per statuta quoruncumque Ordinariorum prolatis ligari volumus ignorantes, dum

tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.

63. Inq. 5. An metus gravis excuset ab incursione censuræ? R. Sub distinctione. Vel enim res præcepta, aut prohibita est de mero jure ecclesiastico, ut jejunare tali die, & in hoc casu violans jejunium ex metu gravi, nec peccat, nec incurrit censuram; quia Ecclesiæ præcepta non obligant cum magno detrimento. Vel res est præcepta, aut prohibita, etiam jure naturali, & divino, ut percussio clericici. In hoc casu esto operans contra eam ex metu gravi peccet graviter, quia præcepta naturalia, & divina obligant quocumque metu; tamen non incurrit censuram ob dictam rationem; non enim vult Ecclesiæ obligare cum notabili damno. Hinc apparet non scite requiri a quibusdam metum gravem cadentem in virum constantem, ut patiens excusetur a censura. Non enim requiritur metus cadens in virum constantem, sed sufficit esse vere gravem, alias in casu percussio clericici non excusaret a censura, ut juxta omnes excusatur; qui enim peccat etiam ex metu gravi, non est vir constans. Denique si quis ex metu gravi percuteret Episcopum, vel ageret contra præceptum in contemptum Ecclesiæ, non excusaretur a censura; quia in dictis casibus vult Ecclesiæ obligare, cum cedant in animarum perniciem, & dedecus ipsius Ecclesiæ.

64. Inq. 6. An impotentia, & necessitas excuset a censura? R. affirm. Quia cum impotentia physica, aut morali, sive cum gravi necessitate non vult Ecclesiæ suis præceptis obligare, ut dictum est de damno notabili. Unde censura lata ad restituendum non obligat in foro interno impotentem, aut necessitate oppressum.

65. Inq. 7. Quomodo se gerere debeat dubius de censura? R. Vel dubitat, an censura sit lata, vel certus de censura lata, dubitat, an eam incurrit. Si primum, excusatur est censura, quia tunc mitior pars est eligenda. Si secundum, debet se gerere, ac si esset irretitus censura, donec vel dubium aliqua prudenti ratione deponat, aut absolutionem ad cautelam obtineat. Quia, supposita censura, hæc possidet, & tutior pars est eligenda; alias exponitur periculo peccandi eam violando.

PUNCTUM X.

De absoluteione a censuris.

66. Inq. 1. Quis possit a censuris absolvi? R. Quod censuris latis a jure, vel generaliter non reservatis, potest quilibet confessarius approbatus absolvi; quia eo ipso quod nulli reservantur, conceditur facultas absolviendi cuilibet confessario legitimo. A censuris autem reservatis, & per sententiam particularem latis solus valet absolvi, qui eas tulit, ejus Superior, aut delegatus, quia harum absolutio pertinet ad Tribunal, a quo fuerunt latis. Excepto casu necessitatis, aut impedimenti, & in articulo mortis, in quo omnes Sacerdotes possunt quoslibet poenitentes ab omnibus casibus, & censuris absolvi, ut dictum est tract. 27.

67. Inq. 2. Quotuplex sit absolutio a censuris? R. Quod alia est absoluta, ut quæ datur absque ulla conditione: alia conditionata, quæ confertur dependenter ab aliqua conditione: ut si restituas; & potest esse de præterito, de presenti, aut de futuro. Alia est ad cautelam, si forte adsit censura, & hoc modo datur a quolibet confessario ante absolutionem a peccatis, & a Pontifice ad effectum obtinendi suas gratias, & a Provincialibus, & Visitoribus in suis visitationibus, & etiam a Superioribus in suis capitulis ad habitandum Gremiales pro electionibus valide faciendis. Alia denique absolutio est ad reincidentiam, quo pacto datur in articulo mortis a simpliciter Confessario, seu Sacerdote respectu cujuslibet censuræ reservatæ, ita ut si reus non compareat Superiori, reincidit in eandem censuram. Potest etiam dari extra mortis articulum, si dicat Judex: *Ego absolvo te ab excommunicatione, ita ut si intra mensem non satisfacias, in eam reincidas*; quo in casu si culpabiliter omittat satisfacere, reincidit in eandem specie censuram.

68. Inq. 3. An absque absoluteione auferatur censura reo emendato, aut parte satisfacta? R. neg. Constat ex propos. 44. damnata ab Alexandro VII. *Quoad forum conscientie, reo correctio ejusque contumacia cessante, cessant censura.* Hæc propositio verum teneret, si loqueretur de

de censuris in fieri; sed in facto esse falsa est, quia censura non debent infligi, reo correcto; at semel incurse solum cessant media absoluteione, sicut vincula, & compedes rei non tolluntur per ejus solam respicientiam, donec de facto solvantur. Unde censura non cessat morte ferentis, imo nec morte ipsius rei, esto sigis contritionis decedat, ideoque corpus excommunicati nequit sepeliri in loco sacro, nec pro eo offerri suffragia communia, donec saltem indirecte absolvatur.

69. Inq. 4. Quæ verba sint requisita pro absoluteione a censuris? R. Non adesse verba determinata pro foro interno: pro externo enim debet censuratus absolvi forma in rituali Romano præscripta, Quamvis autem pro foro interno non assignetur peculiaris forma, optime tamen possunt adhiberi sequentia verba: *Dominus noster Jesus-Christus te absolvo: & ego te absolvo a vinculo excommunicationis, quam incurristi* (ob hæresim, vel aliud crimen) *& restituo te communioni, & unitati fidelium, & sanctis sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Pro suspensio, vel interdictio potest dici: *Et ego te absolvo a vinculo suspensionis, vel interdicti, quod ob tale crimen incurristi, & restituo te exercitio ordinum, & officiorum, aut beneficiorum tuorum, vel participationi divinorum. In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

70. Inq. 5. An possit quis absolvi ab una censura, quin absolvatur ab alia? R. affirm. Quia sunt vincula inconnexa. *Objic.* Nemo potest absolvi ab uno peccato gravi, quin absolvatur ab omnibus, ergo nec a censura. R. neg. conseq. Disparitas stat in eo, quod nullum peccatum grave potest remitti sine gratia, quæ est incompatibilis cum omni peccato gravi, quod non tenet in censuris; hæc enim nec connectuntur, nec sunt in facto esse incompatibiles cum gratia.

71. Inq. 6. An absens possit absolvi a censuris? R. Posse valide, quia potest etiam censuris ligari. Nisi in Jubilæo, aut delegatione exprimat debere fieri in actu sacramentalis confessionis; quo casu secluso, potest absens valide, & cum causa etiam licite a censuris absolvi. Item

invitus, quia etiam invitus censuratur. At si ita sit invitus, ut simul contumax perseveret, non est absolvendus, licet valide possit absolvi a Superiore, aut habente facultatem absolutam. Sed ratione Bullæ, aut alterius privilegii concessi in favorem poenitentis nequit hic invitus absolvi, quia usus privilegii pendet a voluntate privilegiati. Nota etiam, quod absolutio a censuris virtute Bullæ cruciatæ solum valet pro foro interno.

72. Inq. 7. An quando Confessarius facultate gaudens præmittit absoluteioni sacramentali illa verba: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, in quantum possum, & tu indiges*, vel alia similia, maneat absoluta censura oblite? R. affirm. Hæc enim est, & debet esse intentio Confessarii; absolutio enim a censuris præcedere debet absoluteionem a peccatis. Unde poenitens sic absolutus valet a peccatis oblitis, & alias ratione censuræ reservatæ absolvi a quolibet Confessario. Verum quando censura oblitæ petunt partis satisfactionem, absolute non manent in præfata, aut alia generali absoluteione, quia non præsumitur Confessarium, aut Superiores velie absolvi licite, & absoluteio censuræ, non satisfacta parte, esto valida sit, illicita tamen est.

PUNCTUM XI.

Alia dubia de eadem materia.

73. Inq. 1. Quæ solemnitas sit præscripta in jure pro licita absoluteione a censuris? R. Sequentia præscribi servanda. 1. Ut censuratus absoluteionem humiliter flagitet. 2. Quod præstet juramentum de cætero non perpetrando delictum, ob quod fuit ligatus censura. Hoc juramentum non est exigendum a quovis censurato, nec ab impubere, esto jam puber postulet absolvi, sed ab eo, qui delictum enorme commisit, ut ab usurario publico, ab incendiario Ecclesiarum, a violatore scandaloso Ecclesiæ, a percussore Episcopi, aut Cardinalis, ab injuriante publico, vel graviter percutiente alias personas ecclesiasticas, a manifesto raptore, ab excommunicato notorio, a mutilatore membrorum, & ab hæretico; non ob alia delicta minus gravia. 3. Præcedere debet

satisfactio partis, si ejus lesio adsit. Si autem nequeat prestari, aut eam pars nolit, licta est absolutio sine illa, ut si clericus percussus, aut alius damnificatus condonet, vel nolit acceptare oblatam congruentem satisfactionem. 4. Absolvens recitare debet unum ex psalmis penitentialibus flagellando interim in humeris (nisi sit femina) censuratum; & deinde dicere preces in rituali positas. Hæc solemnitas deservit pro censura publica absolvenda; pro occulta vero sufficit exactio juramenti in peccatis enormibus, & satisfactio partis.

74. Inq. 2. An absolutio data a delegato non satisfacta parte sit valida? R. Si delegatio habeatur absque ulla limitatione valida est, quia valet uti potestate sine ulla restrictione. Idem est, si illam habeat sub modo præceptivo, aut instructivo, vel sub monitione de satisfacienda parte, quia omissio modi non irritat actum. Si autem delegatio fiat sub conditione sine qua non, de parte satisfacienda, hæc omissa, absolutio nulla est, quia illa præmissa, & non aliter est delegata facultas. Tandem si aliud in delegatione non exprimitur, nisi quod fiat satisfacta parte, probabilius validam censeo absolutionem: quia præsumitur facultas delegata juxta formam juris, ubi dicta conditio non apponitur ut limitatio potestatis, sed ut notificatio obligationis, hoc est, ad licitum, non ad validum. Patet hoc in procuratore, cui delegatur facultas contrahendi matrimonium nomine alterius præmissis denuntiationibus, qui si omissis illis contrahat, valide, esto illicite ob datam rationem contrahit.

75. Inq. 3. An absolutio a censuris vi, aut metu extorta sit valida? R. neg. Constat Ex cap. Absolutionis, de his, que vi, metuve causa. Ubi nulla declaratur absolutio sic extorta, & extorquens ipso jure sententiæ excommunicationis subjicitur. Pariter absolutio extorta fraude, aut dolo circa ejus causam motivam est nulla, ut si fiat se recessisse ab hæresi, aut parti satisfacisse, eam ita non sit, quia omnis gratia subreptitè obteuta nulla est. A quibus censuris possint absolvere Episcopi, Prælati regulares, & cæteri Confessarii, diximus agentes de casibus reservatis, & de privilegio Bile cruciatæ.

76. Inq. 4. An in articulo mortis possit absolvere a censuris laicus, vel clericus non Sacerdos in defectu Sacerdotis? R. neg. Quia nullibi reperitur hæc potestas concessa non Sacerdotibus. Sed cum aliqui id eis concedant, non est objurgandus saltem clericus, qui, deficiente Sacerdote, absolveret a censuris in articulo mortis: quia ex una parte nulla sacramento fit injuria, & ex alia subvenitur proximo in necessitate, & tandem hoc fit ab eo, qui etiam extra necessitatem capax est hujusmodi potestatis. Extra mortis articulum nullus Sacerdos, quantumvis superior, vitandus quit absolvere a censuris, quia caret jurisdictione. Unde potest accidere, quod non valet absolvere a censura, qui eam tulit, si ea lata, ab alio Superiore excommunicatur, & vitandus declaretur, aut notorius clerici percussor evadat.

CAPUT II.

De censuris in specie.

PUNCTUM I.

De excommunicatione.

77. Inq. 1. Quid sit excommunicatio? R. Quod in communi est *censura privans hominem fidelem ecclesiastica communione*. Dividitur in majorem, & minorem. Excommunicatio major est *censura privans hominem fidelem omni ecclesiastica communione*. Minor vero est *censura privans hominem fidelem participatione passiva sacramentorum*. De hac infra erit sermo, nunc autem solum est de majori. Discrimen principale inter utramque patet ex earum definitione, nempe quod excommunicatio major privat omni ecclesiastica communione, minor autem tantum aliqua, nimirum sacramentorum receptione.

78. Nota autem tres olim fuisse differentias, seu modos excommunicationis majoris. 1. Dicebatur *excommunicatio simplex*. 2. *Anathema*, hoc est execratio. 3. *Maranatha*. Differabant in eo, quod prima solo verbo ferebatur; secunda variis ceremoniis, & solemnitatibus, ut fit etiam nunc pulsatis campanis, accensis, & extinctis candelis. Tertia vero separabat ex-

com-

communicatum ab Ecclesia per totam vitam; ita ut nec contritus, & emendatus posset sacramenta recipere, nec de bonis communibus Ecclesiæ participare. Unde apparet benignitas presentis disciplinae respectu antiquæ ab aliquibus Synodis severe præscriptæ. Vid. Bened. XIV. Syn. lib. 10. cap. 1. num. 7.

79. Inq. 2. Quinam sint effectus excommunicationis majoris? R. Octo recenseri. 1. Est privatio suffragiorum Ecclesiæ. 2. Privatio activa & passiva sacramentorum. 3. Privatio sacramentorum functionum. 4. Privatio jurisdictionis ecclesiasticæ. 5. Inhabilitas ad actus legitimos in judicio exercendos. 6. Inhabilitas ad obtinenda beneficia ecclesiastica. 7. Incapacitas ad obtinendum rescriptum, seu privilegium. 8. Privatio communicationis civilis, & forensis cum aliis fidelibus. Nota, quod excommunicatus tenetur absolutionem solicitare quam primum ex præcepto charitatis erga se ipsum, ne communione ecclesiastica fidelium diu privatus existat, per annum autem in excommunicatione perseverans fit suspectus de hæresi. Item clericus actum ordinis sponte exercens in tali statu, fit irregularis. Ex cap. Siquis, de clericis excommunicato.

80. Ex censura nulla nullus effectus, seu privatio oritur. Si autem dubia, aut probabilis sit, obediri debet, cum vix in moralibus evidentia adsit. Violare censuram est culpa gravis ex genere suo; excusat tamen a gravi materiae parvitas. Unde qui in sacris, & spiritualibus communicat cum excommunicato, vel excommunicatus qui eis se ingerit, peccat graviter; non vero in politicis, & civilibus, quia illud materia gravis, hoc vero levis reputatur secluso contemptu. Ideo cum eo recitare, sacrificio assistere, aut ejus cadaver sepelire, si est vitandus, erit peccatum grave; solum autem veniale cum illo comedere, sermocinari, aut aliud politicum exercere. Violans præceptum continens censuram non committit duplex peccatum, nisi ex speciali motivo extrinseco alias sit impositum. Unde si restituito furti præcipiatur sub censura, omittens restituere unum tantum peccatum injustitiæ perpetrat. Si autem furtum in loco sacro prohibeatur, duplex peccatum committit fur-

aliud contra religionem, & aliud contra justitiam.

81. Inq. 3. Qui sint excommunicati vitandi, quive tolerati? R. Quod vitandi sunt solum nominatim denunciati, & notorii percussores clericici; cæteri excommunicati, esto publici; ut hæretici, sunt tolerati; ideo cum istis possumus prohibito communicare in politicis; in sacris vero solum cum causa, aut necessitate. Nominatim denunciati dicuntur, qui proprio nomine sunt ut tales declarati, ut Lutherus, & Calvinus; vel ex officio, quando unus tantum illo gaudet, ut si diceret Judex: *Excommunico Prætorum Salvianum*. Si essent duo ejusdem nominis, & officii, debent exprimi peculiaribus notis: Percussor notorius clericici dicitur, quando delictum ita est notorium, ut nulla tergiversatione celari possit. Ideo non sufficit crimen esse publicum, potest enim reus allegare se fuisse ebrium, aut in sui defensionem fecisse, proindeque requiritur sententia Judicis declaratoria criminis, qua stante, reus est notorius percussor clericici, & vitandus. Juxta aliquos vitandi in uno loco, in alio, ubi secreta est eorum excommunicatio, non sunt vitandi, quod verum censeo, si transeant ad loca valde remota, ad que difficile est pervenire notitiam. Tolerati nequeunt communicare cum aliis, quia non in eorum favorem, sed aliorum innocentium concessum est privilegium a Martino V. in Concilio Constantiensi: *Ad vitanda scandala*.

PUNCTUM II.

De primo, & secundo effectu excommunicationis.

82. Inq. 1. Quis sit primus excommunicationis effectus? R. Est privatio suffragiorum communium Ecclesiæ. Horum nomine intelliguntur sacrificia, hore canonicæ, processiones, orationes publicæ, benedictiones, & alia hujusmodi, quibus sunt privati excommunicati, esto sint in gratia, donec absolvantur. Unde offerens sacrificia pro vitandis nomine Ecclesiæ nihil efficit, nisi peccare graviter. Si autem Sacerdos offerat sacrificium pro vitando nomine Christi, valide offert, sed graviter peccat. Si denique quis nomine pro-